

tingere : contra tamen vita hominis brevissima est, et plurimi decedunt, antequam ad maturam aetatem deveniant, et qui longissime vivunt, cervorum et coturnicum aetatem non attingunt. Unde non defuere philosophi, qui naturam accusabant, quod longiorem vitam cornicibus quam hominibus dedisset. Alius tunc mori se querebatur, cum vitam hominis propriam agere inciperet : alius librum suum sic orditur : *Ars longa vita brevis*, q. d. non recte cum hominibus agi, qui propter vitæ brevitate artes sibi proprias assequi non possent. Neenon S. Job, c. XIV. lamentatur : *Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miseriis : qui quasi flos egreditur, et conteritur et fugit velut umbra.* Sexta, timor imminentis mortis continuus, tametsi enim vita humana amara est, amarior tamen est mors : unde rex ille Agag dixit moriturus : *Siccine separas amara mors?* I. Reg. XV. Ac quanto plus solatii et deliciarum percipit homo in vita, tanto amariorem experitur mortem. Quia enim animus immortalis arctissimo nexu junctus est corpori, id immortale etiam desiderat et a se inseparabile. Hinc ergo mors conjuges illos amantissimos separans, hostis est naturæ, et omnium terribilium terribilissimum recte nominata.

V. Relictum est sibi. Sicut enim latrones misero illo semivivo relicto abierunt; relicto inquam incursibus bestiarum et aliorum infortuniorum : sic humanum genus per peccatum originale, aliis etiam miseriis, quæ extrinsecus accedunt, relictum et subjectum est; quarum prima est Dei ira et derelictio. Nascimur enim omnes *filii iræ*, ut ait apostolus, ad Eph. II. Quis autem erit pro nobis, si Deus contra nos? Dei assistentia ante peccatum faciebat, ut homo non posset decipi, labi, mori. Nunc una cum assistentia illa singulari, omnia hæc ablata sunt. Secunda, dæmonis impugnatio et insidiæ, cujus potestati et vexationi traditi sumus. Nam ut ait S. Petrus, ep. II. c. II. *A quo quis superatus est, hujus et servus est.* Exinde omnium mentes sollicitat ad peccatum, et mille nocendi artifex diu noctuque *circuit quærens quem devoret.* Quanta eorum potentia? Quanta astutia? Quanta vigilantia et infatigabilitas? Quantus numerus? Tertia, hominum crudelitas, nam etiam *homo homini lupus.* Quis enim explicat quanta patiantur homines ab hostibus, piratis, latronibus, inimicis? Unde vincula, exilium, deprædatio, eruciatus, privatio membrorum et sensuum, supplicia, oppressio hominum, nisi ab hominibus? Et apost. Jac. c. IV. *Unde bella et lites in vobis? Nonne ex concupiscentiis vestris, quæ mili-*

*tant in membris vestris?* Eodem pertinet servitus quæ non a natura, sed a peccato introducta est. ut patet ex maledictione Cham et Chanaan : *Servus servorum erit fratribus suis*, Gen. IX. Quarta rebellio animalium : præfuit enim animalium peccatum homo bestiis terræ, volatilibus cœli et piscibus : sed postquam ab obedientia Dei recessit, etiam animantia pleraque rebellare ei cœperunt, quæ quidem compellere ad obediendum potest, sed non nisi vi et industria adhibita et cum periculo. Neque solum agrestes feræ, sed etiam mansueta et domestica animalia, cum in rabiem aguntur, hominibus terrorem incutiunt et damna inferunt. Quinta, calamitas, quæ a cœlo et elementis sæpe numero provenit, uti sunt tempestates, incendia, aquarum eluviones, procellæ et turbines, terræ motus, ruinæ montium, venena animalium et fructuum, etc. Quid non periculis imminet frugibus? Sexta, imprævisio casuum fortuitorum, qui undique occurrunt. Unde August. « Quis ambulat, inquit, ubicumque non inopinatis subjacent casibus? De foro quidam rediens domum sanis pedibus suis, cecidit, pedem fregit, et ex illo vulnere finivit hanc vitam. Quid videtur sedente securus? De sella, in qua sedebat, cecidit Heli sacerdos et mortuus est. » Sic Augustinus. *Ex his omnibus quæ diximus, sufficere si vel unum aut alterum notemus. Quantum nimirum malum sit peccatum, quod in tantam miseriarum congeriem non Adamum solum, sed omnes etiam posteros ejus projecit. Deinde, quam necessarium nobis fuerit Samaritanus aliquis, qui tam misere confectis remedium aliquod afferret? Timeamus igitur Deum justum, amemus misericordem.*

### CONCIO VI.

QUOMODO PER GRATIAM MEDIATORIS SANENTUR  
VULNERA PECCATI ORIGINALIS.

I. Remedium intellectus. — II. Remedium voluntatis. — III. Remedium partis animæ inferioris. — IV. Medela miseriarum corporis. — V. Medela externarum calamitatum.

#### THEMA.

*Appropians alligavit vulnera ejus.* Luc. X.

Cum in hodierno evangelio audimus Samaritanum appropriasse ad hominem illum, qui incidit in latrones, et curam ejus egisse, debemus, auditores, in genua nostra cadere, et dicere cum apostolo, I. Tim. I. *Fidelis sermo et omnia acceptione dignus, quod Christus Jesus venit*

*in hunc mundum, peccatores salvos facere.* Quid enim homo ille nisi genus humanum in Adamo lapsum, et a latronibus inferni misere confectum denotat quem Samaritanus, nisi Christum? Ergo sicut miser ille ingenti haud dubie per fusus gaudio fuit, cum vidit Samaritanum sibi appropinquantem et medelam adhibentem : ita omnino nos immortales Deo gratias agere debemus, quoties audimus Christum Jesum venisse in hunc mundum veluti Samaritanum, ut nos salvos facere. Vidimus alibi vulnera generi humano inflata, nunc medicum et medelam videbimus.

I. Cæcus noster intellectus per Christi fidem, gratiam et doctrinam, illuminatus est, ita ut jam non in tenebris ignorantie et errorum, sed in luce et meridie ambulemus, uti prædixit Isaias, c. LX. dicens : *Surge illuminare Jerusalem, quia venit lumen tuum, etc.* Et confirmat apostolus ad Rom. XIII. cum ait : *Nox præcessit, dies autem appropinquavit : abjiciamus ergo opera tenebrarum et induamus arma lucis, sicut in die honeste ambulemus.* Ambularunt gentes in tenebris, quia nec Deum agnoverunt, nec finem suum, iudicium, infernum, beatitudinem cœlestem, peccati gravitatem nescierunt, et plurima scelera pro peccatis non habuerunt; dæmonis malitiam et laqueos, idolorum vanitatem ignorarunt. Unde perpetuo et gravissime impegerunt. At vero nunc per Christi gratiam in die ambulamus; quia celsitudinem divinæ majestatis, immensitatem promissionum ejus, poenas impiis reservatas, virtutum pulchritudinem, peccatorum fœditatem, diaboli fraudes, idololatriæ stultitiam, vanitatem rerum pereuntium, aliaque quæ agenda vel fugienda nobis sunt ad salutem consequendam, luce clarius cernimus. Ex quo patet, gravius delinquere Christianos, cum peccant, quam gentiles; quemadmodum magis culpandi sunt, qui interdum impingunt aut aberrant, quam qui noctu; quia illi sciunt, quo sibi sit eundum, hi vero viam nesciunt, nec vident. Hac luce illustrati alii ab erroribus resipiscunt, et ad veritatem redeunt, ut prodigus ille filius : staturum, in quo erat et in quo aliquando fuerat agnoscens, qui in se reversus ait : *Quanti mercenarii in domo patris mei abundant panibus, ego autem hic fame pereor; surgam et ibo ad patrem meum,* Luc. XV. et Saulus, qui luce cœlesti circumfusus dicebat : *Domine quid me vis facere,* Act. IX. et S. Aug. aliique innumeri, qui subito illustrati, et errores suos detestati, viam cœli agnoverunt. Alii tametsi rudes et illitterati, in rebus ad salutem spectantibus sunt doctissimi, prout prædixit etiam Isaias, c. LIV. dicens : *Ponam uni-*

*versos filios tuos doctos a Domino : et Jeremias c. XXXI. Non docebit ultra vir proximum suum, et vir fratrem suum, dicens : Cognosco Dominum, omnes enim agnoscent me, a minimo eorum usque ad maximum.* Volunt dicere, omnes fideles fidei lumine illustrandos, ut non sit opus magno labore ad cognoscendum Deum, aliaque fidei mysteria perdiscenda, uti et illa quæ ad salutem ejusque spectant; sed a puero una cum materno lacte quasi hæc imbibituros : siquidem parentes initio docebunt filios suos rudimenta fidei, deinde catechistæ teneræ ætati clarius ea exponent; sicque unus puer fidelis doctior erit omnibus ethnicorum philosophis, quoad fidei cognitionem, quæ sola vera philosophia et sapientia est.

II. Per eandem gratiam reformata et roborata est voluntas ad vitia debellanda et virtutes comparandas. Ejus enim auxilio possumus vitare omnia peccata gravia, quod multos sanctos fecisse et facere hodieque, dubium non est. Possumus et a lapsu facile resurgere, et vitiosos habitus destruere, adeoque veterem hominem exuere ac novum induere, sicque per virtutem emergere ad pristinum naturæ integræ statum, majore utique laude, quam si ex eo nunquam dejecti fuisset. Plurima sunt hujus rei exempla. Bonifacius civis Romanus cum Aglae matrona prius impudice versatus, post ejus rei poenitentia ductus contulit se poenitentiae causa ad conquiendam et sepeliendam martyrum corpora, tandemque et ipse glorioso martyrio occubuit. Aglae similiter poenitens piis se operibus addixit, « Latro quidam, (in prato spirituali Jo. Moschi, c. CXLIII.) David nomine apud Hermopolim plurimos expoliabat, plures etiam interficiebat, ita ut nullus ei in his crudelitatis operibus conferri posset. Die quadam, dum exerceret latrocinia cum sociis plusquam triginta, ad mentem rediens, compunctus est corde, relictoque consortio abiit ad monasterium; quærit de abbate : interrogatus quid vellet : Monachus, ait fieri volo. Recusante abbate ingressum, eo quod senex esset, et delicatæ vitæ assuetus, minusque par esset laboribus et abstinentiæ religiosæ, fervens animo in hæc verba erumpit : Ego sum David princeps ille latronum; ideo huc veni, ut defleam peccata mea : si me suscipere renueris, Deum testor, ad priorem redibo vitam; assumptisque mihi sociis, monasterium hoc funditus evertam. His auditis, suscepit eum abbas tendensque eum, habitum religiosum induit. Hic in humilitate, obedientia, abstinentiâ, aliisque virtutibus tantum profectum fecit, ut inter septuaginta monachos (tot erant in illo monas-

terio) tamquam exemplar singulare emicuerit. Quodam tempore dum in cella esset, angelus Domini his verbis eum interpellavit: David, David, remisit tibi Deus peccata tua, et eris ex nunc signa faciens. Cui David: Credere non possum, omnia peccata, quæ arenam maris numero excedunt, tam brevi tempore mihi a Deo esse remissa. Iterum angelus: Sicut Zachariæ non credenti mihi propter incredulitatem suam linguæ usum ademi; ita et tibi faciam, erisque amodo mutus. David, humi se prosterrens, angelum hoc modo compellat: Cum essem in sæculo, nefaria scelera faciens, et sanguinem humanum fundens loquebar; modo quando servire Deo volo, laudesque illi offerre, tunc linguam meam, ne loquar, ligabis? Ad quem angelus: Cum implebis psalmodiæ canonem, loqueris; præter canonem vero penitus tacebis. Quod et factum est, plurimæque per illum Deus miracula fecit. »

« Babilas quidam, (ut ibidem, cap. XIII. refertur) Tarsi Ciliciæ mimus professione, et magus, vir flagitiosissimus, duas concubinas tenebat. Multa pro dæmonis arbitrio, quo utebatur familiariter sive cum eo, sive cum aliis nefarie transigebat. Ingressus quodam die ecclesiam auditoque evangelio, quod ad penitentiam hortatur: Penitentiam agite, appropinquavit enim regnum cælorum, ita compunctus est, ut redierit domum, et suis concubinis. Quo, inquit, amore, quam æquabili utramque complexus sim, sat superque animadvertistis: jam mutatus aliud de meis rebus cogor statuere. Quæcumque labore consecutus sum, per me licet (jam monachus fio) accipite. Illæ, oratione hujus permotæ, responderunt cum lacrymis: Et nos in flagitiis tibi sociæ fuimus, erimus et penitentia. Omnibus ergo in pauperes erogatis, incorrupte deinceps, caste, sancteque vixerunt. » Hunc Babilam antiquus auctor Joannes Moschus dicit se vidisse, venerabilem, modestum, et vere clementissimum virum.

Moyses, ut scribit Sozomenus, l. VI. c. XXIX. cum servus esset, et propter culpam domo expulsus, latrocinio se dedit, homicidia multa fecit. Conversus ad mentem, anachoreticam vitam amplexus est. Æthiops mutavit pellem, pardus maculosos colores suos. Sex annis per totam noctem stans oravit, neque genibus inclinatis, neque oculis somno clausis. Insuper charitatis officia sedulus exercuit, noctu enim circuibat cellas monachorum, et lagenas singulorum aqua implebat, cum procul inde, decem, aut viginti, aut triginta stadiis, manaret.

Ad hæc ipsi lapsus nostri per gratiam nobis

salutares fiunt: siquidem inde salubriter erubescimus et humiliamur, fortius resurgimus, et deinceps cautiores reddimur. Sic Petro, Magdalænæ, Thaidi, Pelagiæ, etc. lapsus plurimum profuit ad parandam vitæ sanctitatem.

Rursum, post humani generis lapsum pluribus virtutibus per Christi gloriam factus est quam fuisset in paradiso: uti penitentia, patientia, martyrio, paupertati, virginitati, dilectioni inimicorum, etc. Plures ergo ad salutem victorias et coronas nobis comparandas nunc habemus vias, quam habuissemus in paradiso. Et si Alexandri M. hoc unum desiderium fuit, ut plurimas haberet pugnandi occasiones, dicitans patrem suum nullum majus patrimonium sibi relinquere posse, quam si multos ei relinqueret hostes, quibus debellandis militem se ostendere, et victorias posset parare (apud Plut. in apophth.) multo magis gratulari sibi Christiani debent, quod occasionem nacti sint egregiis virtutibus comparandi cælestes victorias et coronas. Sapienter enim Plato dixit: *Sapientes primo loco collocant animum; secundo, corpus; tertio, pecuniam: ita in rep. primus locus detur virtuti; secundus, viribus corporis; tertius pecuniæ.*

III. Parti animæ inferiori remedium adhibendum. Possumus enim per gratiam refrænare et edomare sensus, affectus et passiones nostras; ac licet concupiscentiam sine speciali Dei gratia extinguere et enecare nequeamus, possumus tamen ejus motibus obsistere, et ita de ipsa triumphare. Unde ea facta nobis est materia, partim humilitatis dum ab ea colaphizamur, ut loquitur apostolus partim luctæ et victoria, dum ei strenue resistimus: partim salutaris timoris, dum ab hoste inseparabili et perpetuo nobis insidiante monemur semper in armis stare.

Possumus etiam corrigere pravam complexionem, ita ut prorsus mutemur in viros alteros, juxta verbum Joannis Bapt. *Potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahamæ*, Luc. III. quod fit cum duræ et obstinatæ naturæ homines, molles, et ad omnia flexibiles; cum cholericæ mansueti; sanguinei graves fiunt et modesti.

Possumus et carnem vincere assuetudine, et spiritui subijcere media oratione, jejuniis, ciliciis, et hac ex parte angelis superiores fieri: dum hoc efficitur per virtutem, quod illi sunt per naturam. Nec defuerunt sancti; quibus speciali Dei privilegio carnis titillatio penitus extincta fuit. Talis S. Equitius abbas Valeriæ provinciae, qui tantum jejuniis et oratione apud Deum effecit, ut dormienti angelus omnem carnis molestiam amputarit; unde: *Ita alienus co-*

*titit a tentatione, at si sectum non haberet in cor-*

*pore*, inquit S. Greg. l. I. dial. c. IV. Talis S. Thomas Aquinas, qui cum procacem feminam ad se in cubiculum immissam titone fugasset, sentire sibi per quietem visus et lumbos suos ab angelo constringi, atque ex eo tempore omni prorsus libidinis sensu caruit, ut in ejus vita et brevior. Rom.

IV. Corporis miseriæ, uti labor et dolor, egestas et paupertas, servitus, morbi, vitæ brevitatis, moriendi necessitas, etc. non quidem prorsus sublata, magnopere tamen mitigata sunt per gratiam mediatoris, imo suaves et gloriosæ factæ. Mitigata, quia vel cessarunt, uti servitus gentilia mancipiorum, quam religio christiana paulatim sustulit: vel in comparatione peccati, quod solum vere malum est, pro nihilo habentur, juxta Christi monitum: *Nolite timere eos, qui occidunt corpus.* Suaves factæ sunt, quia ingentia secum afferunt merita, ideoque a bonis viris excipiuntur obviis ulnis velut hospites optatissimi. Unde apost. II. Cor. XII. infirmitatem præfert sanitati: *Cum infirmior, tunc fortior sum*: et, I. Cor. VII. servitutis conditionem præfert libertati: *Servus vocatus es? inquit. Non sit tibi curæ; sed et si potes fieri liber, magis utere, scilicet servitute.* Causam affert S. Augustinus, in sent. n. LIII. *Justis, ait, quidquid malorum aliquis Dominus irrogat, non poena est criminis sed examen virtutis.* Unde aliqui semetipsos in servitute vendiderunt, velut Serapion, ut dominum suum converteret: Paulinus episcopus Nolanus ut filium viduæ redimeret. Aliam affert Salvianus, l. I. de vero judicio, quia nemo miser est, qui sua miseria contentus est; talis enim est, qualis esse vult: « Humiles, inquit, sunt religiosi, hoc volunt: pauperes sunt, pauperi delectantur: sine ambitione sunt, ambitum respuunt: inhonorati sunt, honorem respuunt: lugent, lugere gestiunt: infirmi sunt, infirmitate lætantur. » Denique, hæc miseriæ promovent nos ad cælum et expediunt a mundo: carnem enervant et spiritum roborant.

Gloriosæ vero propter exemplum et imitationem Christi. Audi apostolum, II. Cor. IV. *Tribulationem patimur, sed non angustiamur: opprimimur, (id est, inopia premimur) sed non destituimur: persecutionem patimur, sed non derelinquimur: deijcitur, sed non perimus.* Et quam ob causam? Subdit: *Semper mortificationem Jesu in corpore nostro circumferentes*, q. d. quia Christum crucifixum et mortificatum semper præ oculis habemus, cui similes fieri gaudemus. Hinc gloriosum factum est, pro Christo pati, esurire, contemni, etc. Ipsa denique mors, præterquam quod a Christo spoliata est suo dominio et red-

dere depositum debet, jucunda reddita est, quia salutaris: unde apostolus dixit: *Mori sibi lucrum esse*, ad Philip. II.

V. Externis calamitatibus suum etiam remedium, quantum decuit, adhibitum. Nam primo, dæmonum potestas mire est restricta; siquidem ejus tyrannis, fraudes et illusiones, quibus mundo insultabat, repressæ et detectæ sunt: oracula et responsa quæ ex statuis et lapidibus dederat perpetuo silentio mulctata; uti lapis Memnonis, qui exsculptus quotidie oriente sole radiis percussus vocem suam dabat, diaboli præstigiis, usque ad Christi ortum, ubi cessavit; quemadmodum et alia falsorum deorum in Ægypto simulacra, ut alibi dictum, Euseb. Cæsar. chron. anno mundi 3580. Deinde, alligatus est, ut nemini nocere possit, nisi qui ad eum ultro accesserit: unde S. Antonius dicebat: *Dæmon sicut passer irretitus tenetur et constringitur a Christo.* Christiani ergo Christo nati, dæmonem non timeant, sed rideant. Quod vero nos persequitur et sollicitat ad peccatum, in hoc ipso nobis servit, dum ad pugnam excitat et vigilare nos facit pro salute nostra, sicut magister vigiliam, qui de nocte circuit castellum et lustrat excubitorum, num in sua statione vigilent: unde S. Petrus monet: *Fratres, sobrii estote et vigilate, quia adversarius vester diabolus tamquam leo rugiens circuit quærens quem devoret*, I. Petr. V.

Deinde, tentationes et tribulationes gaudium afferunt Christi athleticis (juxta id Jacobi I. *Omne gaudium existimate fratres, cum in varias tentationes incideritis*) quia et victoriam; quo modo Alexander M. Julius Cæsar et alii strenui duces hostes optarunt validissimos ut in iis superandis virtutem et fortitudinem bellicam exercere possent. Nec viris justis causa sunt ruinæ, sed stimulus ad virtutem, uti eas vocat apost. II. Cor. XII. *Datus est mihi stimulus carnis meæ, angelus Satanæ, qui me colaphizet.*

Rursum hominum ferocia magna ex parte domita est, ut prædictum ab Isaia, c. XI. dicente: *Habitabit lupus cum agno, et pardus cum hædo accubabit: vitulus et leo et ovis simul morabuntur*, et puer parvulus cibabit eos. Vult dicere: In Ecclesia Christi simul quiete versabuntur justi et peccatores, justes et feroces, patienter et cholericæ, pauperes et divites, infirmi et potentes, quia scilicet gentes effere et barbaræ deposita feritate mitescent et cum agnis et hædis, id est, humilibus et simplicibus Christianis conspirabunt in unitatem fidei et conversationis. Talis fuit Saulus spirans minarum et cædis in discipulos Domini, ideoque bene lupus dictus, Gen. XLIX. sub typo Beniamini, qui tamen conversus ad Christum habita-

vit cum agnis, Petro, Joanne, etc. Talis Constantinus M. qui prius in uxorem et conjunctissimos sævierat, post baptismum adeo mansuetus fuit effectus, ut declinaret occasionem sæviendi in senatum populumque sibi infensum ob religionem ideoque novam urbem, idololatriæ expertem extrueret Constantinopolim, Baron. anno 324. Talis S. Guilielmus Aquitanie dux qui prius persecutor Ecclesie et episcoporum irrisor schismaticus, S. Bernardi increpatione prostratus et mitigatus, adeoque in agnum et denique in sanctum eremitam mutatus est, ut in vita S. Bern. l. II. c. VI. idemque primo tantæ edacitatis et bibacitatis fuit, ut ei vix quovis prandio sufficerent, quæ octo robustis juvenibus pararentur cibaria; post conversionem vero pane modico et aqua contentus, magna incolumitate vixit; et scribit Theobaldus episcopus, in ejus vita, cap. I. et XXIV. apud Sur. in februar. Videtur ad hos respexisse Isaias, cum loco cit. subdit: *Leo quasi bos comedet paleas*: nec tacendum, quod ait: *Puer parvulus cibabit eos*. Hoc enim contingit in Ecclesia, ubi pastorem unum pauperem et humilem sequitur grex potentum, divitum, nobilium, civilium, agrestium; præsertim in religionibus bene constitutis, et hoc in India, China, Japonia, Brasilia.

Alia calamitates, quæ a bestiis, cælo, elementis et casibus fortuitis imminent hominibus, non quidem sublata, sed tamen in bonum hominum conversæ sunt. Per eas enim continentur in timore Dei, et corrigimur a peccatis, et liberamur ex parte a pœnis atrocioribus in altero sæculo luendis. Quamquam et ipsæ a piis hominibus multoties avertuntur per orationes et alia præsidia spiritualia magno cum merito. Nec desunt multi sancti, quibus bestie feroces ad nutum obedierunt adeoque jus subjectionis, quod inobedienti homini olim subtraxerunt postea obedienti restituerunt. Scimus enim leonem S. Gerasimo, ursum S. Corbiniano, cervam S. Egidio, onagrum S. Heleno, aves S. Francisco, bestias complures Josepho Anchieta ad nutum paruisse. Quare si quas creaturas nobis adversari videmus, peccatis et inobedientiæ nostræ adscribamus; dum enim Deo nos rebelles sumus, quid mirum si et nobis rebellent creaturæ? Similiter quod ad reliqua, quæ diximus attinet, si in nobis non sentiamus sanata esse hæc vulnera, nobis imputemus non Samaritano. Quid enim si ille vinum et oleum infundat nostris vulneribus, nos autem ei reluctemur? Quid prosunt medicamenta reposita in pharmacopolio, si non applicentur? Quid prodest fidei et doctrinæ evangelicæ lex, si non admittatur? Quid Christi

gratia, si eam non petamus, nec oblatae cooperemur? Quid cura et medela adhibita in sacramentis, si mox iterum descendamus ab Jerusalem in Jericho, id est, de statu gratiæ in peccatum, et rursus incurramus in latrones? Audi quid apostolus dicat de nostro Samaritano ad Hebr. V. *Factus est, inquit, omnibus obtemperantibus sibi causa salutis æternæ*. Omnibus, inquit, sed obtemperantibus sibi. Quid ergo conqueri potes, non esse te sanatum, si medico non obtemperes? *Numquid resina non est in Galaad, aut medicus non est ibi? Quare ergo non est obducta cicatrix filie populi mei?* inquit Jeremias, c. VIII. numquid sacramenta, numquid vinum et oleum Samaritani non est in Ecclesia? Numquid Samaritanus? Minime; solum istud deest reprobis, velle obtemperare. Vere igitur Christus, noster Samaritanus est. Nudi enim et spoliati fuimus; per ejus gratiam vestiti sumus; vulnerati et semimortui fuimus; per eum sanati et roborati sumus. A Deo derelicti fuimus: eidem reconciliati et restituti sumus. Quamquam integra nostra sanitas non in hoc, sed futuro sæculo expectanda est, ubi intellectus lumine gloriæ perfecte illustrabitur, voluntas Dei amore ita inflammabitur, ut nequeat peccare; caro et passionem spiritui adamussim parebunt, corporis aliæque externæ miseriæ et afflictiones prorsus eliminabuntur. Denique, nihil est felicitas Adami, quam habuit in paradiso, respectu felicitatis illius æternæ. Audi Card. Bellar. conc. in dom. pass. « Erat Adam sapientior Salomone; erimus nos æquales angelis Dei: erat Adam fortior Samsone; erimus nos ferro, et igne et leonibus fortiores: poterat Adam non mori; nos multo feliciores non poterimus mori: fruebatur Adam magna pace; nos fruemur maxima, tantaque erit tunc concordia corporis et animi, carnis et spiritus, ut quocumque voluerit ascendere animus, statim corpus sequatur, etiam super sidera: erat Adam amicus Dei; erimus nos familiares, intimi domestici: poterat Adam non peccare; nos multo beatius non poterimus peccare: poterat ille non cadere; nos non poterimus cadere: denique, habitabat ille in paradiso terrestri; habitamus nos in cælo, in illis ornatissimis, et splendidissimis sedibus ac domiciliis angelorum. »

## CONCIO VII.

## DE MULTIPLI AMICITIA FALSA.

I. Amici falsi sunt qui omnia approbant. — II. Qui coram et in faciem laudant. — III. Qui obsequia deferunt. — IV. Qui socii mensæ et prædæ. — V. Propinqui. — VI. Scelerum patroni et socii. — VII. Qui vicissim amant. — VIII. Socii et comites.

## THEMA.

*Et quis est meus proximus?* Luc. X.

Non est facilis, nec inutilis quæstio ista: *Quies est meus proximus?* Non facilis, quia causam huic quæstioni videtur dedisse lex antiqua, Lev. XIX. quæ sic habet: *Diliges amicum tuum sicut teipsum*. Cum ergo incertum sit, quis amicus vel inimicus sit censendus, hinc non immerito quæritur: *Et quis est meus amicus?* Nec inutilis est: etenim ex hac ignorantia, magna proveniunt incommoda. Primo, quia nescis a quo cavere debeas: manifestos enim hostes facile vitaveris, non ita fictos amicos. Hinc Alexander Magnus cum ei vulnus obligaretur et amicus ejus Parmenio eum objurgaret, quod se in medium hostium commisisset periculum, respondit: *Tum me serva a fictis amicis, et ego me servabo ab inimicis*. Alexandrum, Alcibiadem, Agesilaum, Antigonum, Demetrium, Julium Cæsarem, Lentulum, Pyrrhum, Pompeium, amici interfecere, quos hostes non potuere. Hinc David jubetur a Gad propheta redire ad terram Juda, de terra et domo Moab, quasi securius habitaturus in terra aperti inimici, Saulis, quam in domo falsi amici et suspecti, I. Reg. XXII. Deinde, sæpe errabis in hominum dilectione, nisi severis tuos amicos: facies enim quod Davidi exprobrat Joab, II. Reg. XIX. dicens: *Diligis obedientes te, et odio habes diligentes te: quia si Absalon viveret et omnes nos occubuissemus, placeret tibi*. Hinc Rob. Holc. l. CXXXI. in l. Sap. inter humanæ vitæ necessitates, nihil ita utile existimat, ac discernere inter amicos et inimicos. Igitur Dominus hodie nobis demonstrat verum amicum scilicet Samaritanum qui *custos exponitur*: amicus autem quasi *animi custos* dicitur; dicat igitur quisque sententiam suam; nos singulas examinabimus.

I. Quidam pro amicis habent eos, qui sibi nunquam contradicunt, sed facta eorum qualiacumque laudant et approbant, vel saltem excusant: sed errant, nam Isa. III. dicitur: *Popule meus, qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt*. Qui bus minatur Deus, Ezech. XIII. dicens: *Væ qui consuunt pulvillos sub omni cubito manus et faciunt*

*cervicalia sub capite universæ ætatis ad capiendas animas*. Supponis forte in mensa cubitum cervici et dormire incipis: sed quia mensa durior est, cito expergiseris. Adest itaque famulus et pulvinar substernit cubito tuo, ac tum suavius dormis: ita potentes aliqui dormiunt in peccatis suis; sed remurmurat interim conscientia, nec multam eis quietem concedit. Quid faciunt igitur falsi amici? Excusant, imo defendunt eorum facinora, vel saltem tacendo approbant; inde domini illi jam suaviter in peccatis dormiunt. Verum ubi evigilaverint in iudicio, videbunt quales habuerint amicos, eosque execrabitur in omnem æternitatem. Hinc ergo precatur David, Psal. CXL. dicens: *Corripiet me justus in misericordia et increpabit me: oleum autem peccatoris non impinguet caput meum*, q. d. nolo blandiloquentiam adulatoris, qui peccata mea extenuet, excuset vel fucatis coloribus pingat; correptionem potius volo. Oleum, teste Galeno, l. II. de simpl. medicam. facult. c. XXII. si rebus frigidis misceatur, frigidum est; si calidis, calidum. Ita gnathones isti. Ais? Aiunt. Negas? Negant. Instar chamæleontis enim omnes induunt formas rerum quas aspiciunt: instar echonis omnes voces referunt: instar speculi omnes formas. Oleum quidem recreat et lenit dolorem vulnerum, cæterum nimis calidum aut frigidum membro peruncto nocet, et febrim aut insensibilitatem affert, teste Anglico, l. XVII. c. CXII. ita et blanditiæ talium amicorum. Unde in præd. psalmo pro oleo peccatoris, oleum veneni legit Hieronymus. Itaque viri sapientes eos pro amicissimis habuere, qui ipsorum defectus corrigebant. David correctorem suum Nathan in magno semper honore habuit et coluit: Theodosius imp. Ambrosium, a quo sæpius etiam publice corrigebatur, præ omnibus coluit, et quasi unicum episcopum suum agnovit: ita denique Samaritanus, qui alligavit vulnera sauciati, et vinum etiam, non oleum tantum in ea infudit. Mordet vinum, oleum lenit: itaque corrigendi amici sunt, etsi non absque lenitate.

II. Quidam eos amicos putant, a quibus in facie laudantur, vel audiunt sibi placentia: sed non ita esse discimus ex Prov. XXIX. *Qui benedicit proximo suo voce grandi de nocte consurgens, maledicenti proximus est*, id est, qui te in faciem intempestive laudat, potius vituperat quam laudat, siquidem te velut stolidum aut sectatorem laudis traducit et confundit. Unde S. Ignatius martyr, ep. ad Trallianum ait: *Qui me laudant, flagellant*. Solent isti sæpe clam detrahare et illudere iis, quos in faciem laudant, et Judæ instar osculo velut amicum salutare, interim vero tra-